

consortio et amore licet destituar devinctissimo, summas tamen ago gratias Misericordi cunctaque regenti Numini quod eam liberaverit ex tot miseriis, summisque, quos per tres fere annos perpessa fuit doloribus, eamque salvam transtulerit in æternam beatitudinem ab omnibus calamitatibus liberam, quem exoptabilem portum utinam salvum suo tempore nobis detur, eoque in æternum frui, tum ea spe cunctas facile superare possumus in mundo res adversas, nobisque tristissimas.

Tradidi nuper D. Balguerio Fasciculum, in quo sunt solita Fasciculi noni exemplaria cum binis melioris conditionis pro Te ac Rege Tuo Serenissimo, addidi quoque desiderata semina tum et Iavanica ac Capensia absque nominibus, quæ barbara notantur, nulliusque sunt usus.

Spero hæc Tibi grata fore, lætamque Tibi messim productura, brevi jam filius Leydam petet, ut promotionem obtineat cujus dissertatio si prodierit, prima Tibi occasione ejus copiam faciam, quamque jamdum obtinisset nisi Matris adversa valetudo inpedivisset.

Vidi Millerum in ultimo suo fasciculo Ferrariam meam exhibuisse, pluresque in aliis delineavisse Capenses Bulbos qui quotannis in prædio meo luxuriosissime florent, uti plures jamdum suas incipiunt aperire corollas quas hac æstate separatim notare si potero, eorum, quæ mihi sunt in duplo Tibi suo tempore specimina, bulbosque siccos mittam

Valeas, Vir Amicissime, cum tota tua splendidissima familia.

Dabam

Amstelædami

17 Aprilis

1759

Utanskrift:

*A Monsieur*

*Mons: Charl: Linnæus,*

*Professeur tres celebre*

*à*

*Frbr.*

*Upsal*

Linn. Soc., Vol. II: 448—449.

<sup>1</sup> Detta Linnés bref f. n. okändt.

<sup>2</sup> Burmans maka ADRIANA, född VAN BUEREN, håde dött den 9 April.

364.

Viro illustri  
D. D. Jo. Burmanno  
Benefactori  
S. pl. d.  
C. Linnæus Equ.

Habui heri nonum fasciculum Plumeriananum<sup>[!]</sup>, una cum duabus tabulis et plurima semina rarissima.